



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Annotatio in XVII. Epistolam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

lius diligere debetis. Sed, quia venire neglexistis, Dominus Cardinalis usque ad satisfactionem à diuino officio, cæteris consentientibus, vos suspendere voluit. Nos autem pro singulari amore, & reuerentia vestri, ne quid durius contra vos diffiniri deberet, vix obtinuimus.

Nunc itaque fraternitatem vestram rogamus, & ex auctoritate Domini Papæ, & Apostolicæ sedis Legati, & nostra præcipimus, vt vniuersali Concilio in natiuitate sanctæ Dei genitricis Moguntia celebrando, omni amputata occasione vestram exhibeatis præsentiam; vt ibi & Domini Papæ legationem cognoscatis, & de statu Ecclesiæ vnâ nobiscum in commune consulatis. Si qui verò Episcoporum huic sancto Concilio interesse neglexerint, sciant se ex auctoritate Domini Papæ, & Apostolicæ sedis Legati, & totius Concilij synodalis sententiæ, qua huiusmodi præsumptores feriendi sunt, modis omnibus subiacere.

Annotatio in XVII. Epistolam.



Aussam huic epistolæ scribendam dedit consuetudo S. Othonis, qui in tanta rerum omnium turbatione, quantum consequi poterat, publico abstinens, suæ Ecclesiæ res curabat. Quod nonnulli tam Catholicæ; quàm schismaticæ partis ægrè ferebant. Clarè hoc testatur Urspergensis, qui ista. Anno Domini M. C. XIV. Dominus Imperator (Henricus V.) Naralem Domini Babenberg cum summa magnificentia, copiosaq; Principum multitudine celebrat: Et hoc simpliciter, quia virum Dei Ottonem inibi Episcopum, propter quadam iam orientia in Regno scandala, Curiam frequentare renuentem, ex parte suspectum habebat. Ipse verò transitorius pro Concordia Ecclesiastica non parcens; beneficiis indefessè animositatem Regis gloriose dequirit.

Idem Urspergensis. Cæteris, qui aderant, &c. ad Curiam venire Babenberg Nonis Maij (M. CC. XXIV) indicebat (Henricus.) Factus est itaq; conuentus idem non modicus, &c. Quibus singulis necessarios sumptus vel ex toto, vel ex parte ministrabat venerandus Episcopus

scopus Otho, præter publicum atque constitutum antiquitus Imperatoriae
Majestati, quod Aulicis etiam importunius exigebatur seruitium. Ab ipsis
denique Pater idem notabatur rarius quam ceteri præsules Palatium visi-
tare; ipse vero Monasteriis constituendis & restaurandis, eleemosynis dispen-
sandi, orationibus inuigilandi, ceterisque, tam practica, quam theoretica stu-
dii insinuandis sese maluit occupare. Nec deerant, qui id inuidiæ causâ
miserantes publicis potius functionibus impendendum iudicarent; sicque Cæ-
saris animositate contra virum Dei commouere tentarent. Sed quia Do-
minus custodit omnes diligentes se, & vias peccatorum disperdit, iste rebus
transitoriis pro tempore non parcens, miro modo, quamuis vndique regiones
stringente penuria, sufficienter omnibus ministrando bonitate malitiam
vicit, non ficta charitatis officio, totius in se Regni beneuolum affectum com-
meruit. Hæc Vrspergensis. Non semper tamen publicis absti-
nuit. Nam Anno M. C. V. cum cæteris Romam legatus missus
est pro Henrico V. contra Henricum IV. Et Anno M. C. XXI.
transactioni Catholicorum & schismaticorum ad Moguntiam
interfuit: & ad Principes Noricos transactionis indicandæ
causâ legatus abiit. Et tandem pacem inter Ecclesiam & Impe-
rium Anno M. C. XXII. in ita chirographo suo confirmauit.

XVIII.

Epistola Episcopi Halberstatensi ad
S. Othonem.



TOTI, Domno suo Venerabili sanctæ Baben-
bergensis Ecclesiæ Pontifici * N. per misericordiam
Dei Halverstatensis Ecclesiæ [Episcopus] si quid est,
quotidianum laudabilis vitæ incrementum. Si re-
rum vestrarum status prosperitate fruitur, si condignè morum
ac vitæ compositioni concordat, vobis, vt decet, congaude-
mus: si non, condolemus. quia id ipsum de fidelitatis vestræ
excellentiâ speramus, & certum habemus. Si ergo rerum no-
strarum statum scire cupitis, vt amico, cui maximè confidi-
mus, cui fluctuantis nostræ anchoram, ingruente tempestate,
infigimus, vt amico inquam, quem post Deum vnicum ac cer-
tissimi

* Videtur leg.
O. & sit Orbo,
de quo Cræcius
lib. 6. Metropol.
cap. 11. de quo
Epist. seq. Ho-
norius Pörsfen.

Oo

tissi